Locacchii Andreae, Scoti: Eudoxia.
Crac. 1668.

EVDOXIA

Admodum R.dor. & Mag.cor. DD.

IOANNIS
- CRASINII, Cant. Crac Can.. G. & L. &c.
- KVCZBORSCII, S. T. D. Can. Crac. Schol. Gnesn. & Ploc. Archid. Varſ. R. M. Secretarij.
- FOXII, I. V. D. Can. Cracouien. Scholaſt. Scarmirien.
- FRIDRICHOVII, Can. Cracouien.
- PLAZAE, Cap. Lubacsou. Magni Procuratoris Arcis Cracouien.
- SKVMIN, Cap. Bracsl. M. D. L. Notarij.
- ZEBRIDOVII, Cap. Varten. Aulici Regij.
- N. BORATINII, Cap. Lipinenſis. &c.
- BVLACOVII, Aulici Regij.
- PORVDINII, Aulici Regij.
- DOBEK, Aulici Regij,
- ROGOZINII, Aulici & Secret. Regij.

Ex ipſorum concinnata Nominibus;
Et pro die D. Ioanni Baptiſtæ Sacro,

IISDEM,
CEV SPERATIS FAVTORIBVS,
OBSERVANTIAE ERGO,

Ab Andrea Lœæchio Scoto
DICATA.

CRACOVIÆ, Baſilius Skalſki impreſſit.
Anno Domini 1608.

IOANNES CRASINIVS
Per Anagramma.
VIR, SIC EAS IN ANNOS!

Eidem & Animi Bonis Claro, & Fortunæ Affluenti.

FOrs opibus gaudere dedit; ſed nomine felix
Diuerſo es: ſtabili nam pede cœca caret.
Arcanis Mens clara opibus perfectiùs ornat;
Dos iſta auferri, luce manente, nequit.
Diffiſus Sorti VIR EAS SIC, voto vt IN ANNOS
Neſtoris exoptent te ſupereſſe Sacra.

IO(H)ANNES CVTSBORSCIVS.
SORTE SVBIS CANONICVS.

Ad Eundem tum Canon. Crac. Factum.

ILle ego, Fortunam qui pro te hoc ore precabar:
SORS BONA, ô HVIC CENSVS SIT, Sacer atq; gradus,
Audior, en. Tenta neu' verba refellere Vatis:
Venerunt faciles ad mea vota Dei.
O nimiùm dilecte Deis, dilecte Deabus!
Cuj Virtus, Pallas, ſic Nemeſiſq; fauet.
Magna dedit, maiora datis promiſit Olympus:
Exſpectanda tibi eſt (Auguror) vna dies,
Quâ Patribus, rerum quibus eſt propè dia poteſtas,
Accedes, Templis & ſua iura dabis.
Sic ſpera, & dubias ſecludito pectore curas,
Captare haud dictis inferiora meis.

SOrs cœca eſt (cœcam pingi iuſſere Poetæ)
Vſam oculis tibi ſed credo præiſſe deam.
Vel ſi cœca fuit, greſſus quocunq; ferebat,
Virtutem cœcæ credo fuiſſe ducem.
Sic tu SORTE SVBIS, nihil at Virtutis egenâ;
Officium, Canones quod tribuere Sacri.

CENSOR

CENSOR, IS AVCTVS BONIS.

I, ACTV SIS BONVS CENSOR.

Ad Eundem, Ne leuibus vel leuiter offendatur Versibus.

DVm leuia offerrem, me, CENSOR amice, reprêndis:
Et Leuia, obiectas, sunt tua dona mihi.
IS AVCTVS tu quippe BONIS; me pressit egestas:
Hinc leuia haud mirum si tibi dona feram.
Ne tu, per Phœbum, vacuis me vlciscere Musis;
Sit procul Ingenio mulcta profana Sacro.
SIS ACTV BONVS, I, CENSOR, committe nec (oro)
Possit vt ad spretum spreta redire Charis.

IOHANNES FOXIVS.

I, IVS. EN FAX, HONOS.

Apostrophe ad Iurisprudentiam Eius solertiâ illustrandam.

IVstitia ô, Themidem, seu IVS te dicis, adesto:
Foxius inuitat. Linque virago polum,
Atque solum repetas. Successu, EN, auxerit amplo:
I, te ducem excipiet non periturus HONOS.
Hæc FAX incrementa dabit, charamq; locabit
Altiùs, ac technæ nubila ferre queunt.

IOANNES FRIDRICHOVIVS.

EI CVRA, FINIS, DIVS HONOR.

Religionis De Eodem Augurium.

RElligio de te consulta, hoc ore profata:
Officio Hic faciet non aliena suo.
Sint Fortunæ, aliis irritamenta malorum,
Illecebrisq; suis in scelus omne trahant.
FINIS EI sed DIVS HONOR, supremaq; CVRA:
Inuisa Ambitio gloriæ inanis apex.

IOANNES PLASA.

O, NIL A SPE SANA.

Ad Eundem Auitam Religionem Amplexum.

FAllere queis multos solita est, conata susurris
Hæresis à tuto te reuocare gradu.
Ætherii adfulsit mox indulgentia Patris,
Nec passa est blando te periisse malo.
Maturè aggressum sensisti pectora virus;
Corporis & veritus vel sine cęde mori,
Versus es ad Medicum, noxas qui sanguine lauit;
Per Sponsam, Amplexus, quæ iubet ille suam.
A SANA, O, NIL SPE, Fidei præcepta vetustæ
Qui colit, & Sacra Aui quæ coluere, cadit.

IOANNES SSEBRIDOVIVS.

ES (AIO) ES DVRVS, NI BONIS.

Prosphonema Prosapiæ Ad Eundem.

HI Nostro Generi Moresq; artesq; fuere;
Alterius nunquam tollere clade caput.
Segniter ad Patriæ se nunquam offerre pericla:
Posse Animo simili sorte in Vtraq; frui.
Præstare haud lateat reprobus Probitatis amictu:
Gaudere Egregiis ciuibus esse Pares.
Quemque bonum firmo Meritorum obstringere nexu:
Ex æquo cunctis displicuisse malis.
HÆres Heroum Morum, permitte fateri,
Nomina quod de te dicere versa iubent.
Omnibus ES DVRVS, potes omnibus esse seuerus;
Durus ES, AIO iterum, NI (bona Fama!) BONIS.

IO(H)ANNES SCVMIN.

EN, NON CASVS MIHI.

VINCENS ANIMOS.

Ad Eundem sui Victorem Animi.

MVltà agitans, nec pauca mouens discrimine & arte,
In tibi vertendo Nomine, Skumin, eram.

Visus

Visus adesse mihi es, mihi vellere visus es aurem,
Dixisse &, Nostri nominis esto modus.
Nil opus est facibus genuinum attingere lumen:
EN, MIHI NON CASVS Nomen, at Omen agit.
Sumq; ANIMOS VINCENS, quoties iubet impetus irę
Tendere, quò facti pœnituisse queat.

IO(H)ANNES BV(L)LACOVIVS.
EN, HOC AVSV NOBILI LAVS.
I, AVSV BELLA IN NOCVOS.
SALVE CONVIVA BONIS.

Monomachia Siue Singulare Certamen Eius,
Paroxysmo etiam laborantis,
Cum Turca quodam insolentiùs Prouocante.

ÆGer eras Miles, febris quatiebat & artus:
Qui vocet in pugnam, Turca superbus adest;
Robore Turca ferox, nec rarò victor in armis,
Factus & exitium fortibus ense viris.
Quid faceres? Pugnam suadebat conscia virtus:
Tunc minor at vetuit, quàm fuit antè, vigor.
Non potuere artus fragiles arcere duello;
Pectore quo poteras hinc, animose, ruis:
(Addebat vires pulchræ Mens Laudis Auara)
Et Mahumetigenam cuspide sternis humi.
Obstupuit Mauors, secum &, Rear huncce futurum
Quem sanum! ægrotus si mihi tanta facit.
EN, HOC (subiunxit) veniet LAVS NOBILI ab AVSV,
Quâ superet facinus per vaga sêcla tuum.
Hoc Ausu dabitur nostri meruisse Fauores
Battorei, & merito Nomine posse frui.
IN NOCVOS, I, BELLA AVSV: rue victor in hostes,
Credentes Summi Numen inane Dei.

De Grata Memoria eiusdem,
Erga Stephanum Regem, AEternum Militiæ Decus,
Ceu non obscuro Posthumæ Venerationis Indicio.

Oſcula cur libas, Bulacoui, Inſignibus iſtis?
Dic Stephanum ac Martem cur venerâre? Tace.
Iam ſcio Gradiuum veneraris in ære, Gradiuo
Maxillam adſpectans ſigna ſacrata Lupi.

Ad Eundem,

Ab Aulica Hypocriſi penitus alienum.

NVnc Aulas, ſi quando vnquam, Simulatio cepit;
At vetat Ingenuus te ſimulare pudor.
Non quenquam fallis: nil tu pro tempore fingis:
Se tibi conſociant, ob proba facta, probi.
SALVE igitur CONVIVA BONIS. Implere labora
Omen, & hoc vitæ Symbolon eſto tuæ.

IOANNES NICOLAVS BORATINIVS.
NOBILE COR! NI VANA OSVS, I: INSTA.
STABILE COR, I, I, NON INSANO AVSV.

Ad Eundem,

Vt ſpectatæ Militiæ Laudibus Excellentem,
Sic admirando Manuum Robore Singularem.

IN te certauit Natura effundere dotes,
Has Mars conatus ſed ſuperare ſuis.
Dotibus egregium voluit Natura creare;
Indere Mars Manibus Robora tanta tuis,
Inuideat quanta, atque optet Tyrinthius Heros,
Si noſtro ruiſus viueret ille Solo.
Indere dumq; parat, tali fuit ore loquutus:
Dextrâ Animiſq; tibi Magna patrare damus.
Militiâ Clarum veniet tibi Nomen ab Armis;
Quod rarò ex multis millibus vnus habet.
Non deus hæc fruſtrâ. Maturo maior ab æuo,
Pro Patria in Patria laude vehenda facis.
NOBILE COR! NI VANA OSVS, præſtantia Martis,
I per facta: INSTA, quo præit ille, gradu.

NON

NON INSANO AVSV, I, Patriæ, COR STABILE, in hostes:
Æternum ex armis, I, capitoque Decus.
Hoc Mars (en) spondet; nec spe te fallet inani:
Tu modò, ceu solitus, munia Martis obi.

IOANNES PORVDINIVS.

DIVES AVRI INOPS. NON.

De Eodem, Ad Chrysalum,
Siue In Dominos Auri Famulos.

QVæ Metamorphosis! De possessoribus, Aurum
Quem modò non Famulum reddit in orbe virum?
Quisque tamen Dominus vult dicier. Ergò vocetur
Do (de te dici, Chrysale, finge) Minus.
NON AVRI hic DIVES: flauo seruire metallo
Indignatur enim: (seruit auarus) INOPS
Sic tamen & Martis fouet Aonidumq; ministros,
Ceu tota afflueret quam gerit vnda Tagus.
At si pro Meritis cumulasset Plutò, videret
Vix alium Iano Regia tota parem.
Non velum obtendo: tibi, Iuppiter, actio salua;
Si secùs ac fas est Hic tua Sacra colit.
At vos, humanę quos tangit cura Salutis,
In vestrum, ô Socii, non decet ira genus.
Si quoties homines peccant, vindicta vetatur,
Cur facitis refluo flumine ferre sitim?

IOANNES DOBEC.

NON CEDEBAS. IO.

Eidem pro Legum Patriæ Libertate non segniter Agenti.

NON tu CEDEBAS (bona de te Fama vagatur)
Dum læsam ob Themidem, Mars quoque læsus agit,
Aduersum aduersos tu belli lege coibas,
Factæ Aquilæ donec conditione pares.
Vincis, Iô, licitum fuerat quo vincere pacto;
Nil fieri vlteriùs Iuppiter ipse tulit.

IOAN

IOHANNES ROGOSSINIVS.
SERIO SANGVINIS HONOS.
OS, ARS, IS HONOS INGENVI.
Eidem Generis Honorem suis Amplificanti Virtutibus.

TV Proauis debes, partis qui Insignibus ornant;
At Proaui debent nomina Clara tibi.
Mens docta, egregii mores, & gratia frontis,
O ERIS, exclamant, SANGVINIS altus HONOS.
Non quæ more malo iubet illecebrosa voluptas,
Exequeris, Iuuenum vt turba petulca solet.
Virtute accrescis maturo in corpore adultâ,
SERIO & hinc Nomen SANGVINIS audit HONOS.

Votum Eius Dignitati datum.

QVod sine luce oculi, sine vita corporis artus,
Hoc, sine Cultu Animi viuere quisquis amat.
Hinc Animum colis impensè per Palladis Artes,
Præcipuè Historicam suetus amare fidem.
Se nitido Eloquio OS, ARS doctæ congrua menti
Prodit, & INGENVI pectoris almus HONOS.
IS ergò dignusq; Aquilâ, roseoque Sigillo;
Detur & vt Fidei Regia cera tuæ.
Altiùs i, dentes poterit quàm figere Liuor!
Hæc verba, hoc votum do tibi, tuq; cape.
At non, more Aulæ, tu verbis verba repende:
Sic tibi sint Aulæ verba pudenda procul.